





DISPUTATIO
THEOLOGICA,

D E

REGENERATIONE

Q V A M

Divina Favente Gratia

P R Æ S I D E

Nobilissimo, Reverendo, Clarissimoq^{ue} Viro,

D. JOHANNNE MAKOWSKY,
SS. Theologiæ Doct. ejusdemq^{ue} facultatis, ut &
Philos. Theoret. in celeberrima Frisiorum Oc-
cident. Academia, quæ est Franekeræ,
Professore publico, Præceptore suo
perpetuùm colendo;

Exercitiij, & veritatis indaganda gratiâ nãrã dũvapiv
Publicè defendet

DANIEL SOLLINGIVS
CLIVO-VESALIENSIS.



FRANEKERÆ,

Excudebat Fredericus Heynfius Typogra-
phus in Academiã Franekeranã,

ANNO M. DC. XXV.

II i
1293





*Amplissimis, Nobilissimis, Prudentissimis, va-
riog^s, rerum usu excellentissimis,*

Illustrium TRANSYSSVLANIÆ
ORDINUM D. D.

DEPVTATIS,

NEC NON

*Reverendo, Pietate, Doctrina & Eruditione
præstantissimo Viro,*

D. THEODORO RUMPHIO, Verbi
Divini præconi, in Ecclesia EIBERGENSEI,
vigilantissimo, Affini meo.

*Dominis & Mæcenatibus meis summâ
observantiâ colendis,*

Hasce Theses Theologicas

in grati animi & debita subjectionis temporis

Dicat & Offert


DANIEL SOLLINGIUS

Respond.



PROBLEMAT A
D E
REGENERATIONE.

PROBL. I.



Trumne detur præparatio
ad regenerationem? Neg.

1. *Quia si detur præparatio, homo animalis se præparare posset. At hoc absurdum patet ex natura hominis animalis, qualis nobis describitur Rom. cap. 8. 1. Cor. 2. Gen. 6. & 8.*

2. *Quia si se præpararet ad regenerationem, hæc præparatio aut causæ impulsivæ rationem sustinebit respectu Dei, ut hominem regeneret, aut non. Si ita, Erga extra Deum dabitur causæ impulsivæ, quæ Deum movebit ad beneficium hoc conferendum. At falsum hoc. Nam si ratione Dei causæ impulsivæ, Ergo in Deo potentia passivæ. Ergo Deus in agendo causæ dependens. Si non. Ergo frustra quæstio hæc instituitur ab adversarijs: an homo se præparare possit ad regenerationem?*

I I.

Vtrum dentur plura genera hominum
quàm duo, spiritualium nempè & anima-
lium? Neg.

A 2

Argu-

- Argumenta nostra hæc sunt. 1. Præter homines, qui totaliter carnales sunt, & ex parte, nullum genus datur tertium. Atqui horum alij sunt animales, priores nempe; posteriores verò spirituales. Ergò præter hos nullum datur genus tertium. Prior propositio clarè lucet in scriptura. Assuntio, quò ad posterius membrum, patet. Nam quare ex parte est carnalis tantùm, quia est in ipso spiritus, non tantùm caro, ut patet ad Gal. cap. 5.*
- 2. Probat hoc ipsum & hoc argumentum. Præter mortuos in peccatis & vivificatos nullum genus hominum datur tertium. Atqui qui mortui in peccatis, illi animales; qui vivificati spirituales. Ergò præter istos nullum datur genus tertium. Major evidens est, nam inter vitam & mortem medium nullum. Minor patet ex Epist. ad Ephes. cap. 2. v. 1. Ad Colos. cap. 2. vers. 13.*
- 3. Probat hoc ipsum, quòd homines aut acceperunt Spiritum, qui in Deo est; aut non. Si non. Omnes animales; quia per hoc desinunt homines esse animales, quia spiritum acceperunt, qui ex Deo est. Si ita. Ergò spirituales. Nulli ergò alij præter hos dantur, qui nec sunt animales nec spirituales. Quandoquidem omnes homines ad ordinem alterutrum referuntur.*

III.

Vtrumne regenerationis Deus sit causa etiam realis, an tantummodo moralis? Prius affirm.

Disputant adversarij, utrumne eà vi Deus, quâ mortuos resuscitat, hominem convertat? Item utrumne vi irresistibili convertat, quæ utraq; quæstio pendet ex formato

formato à nobis problemate. Probatur autem sententia nostra his argumentis. 1. Præter istum causandi modum, moralem nempe, ponit scriptura alterum. Ergò non est Deus causa moralis tantum nostræ regenerationis. Antecedens patet Deut. cap. 29. Ezech. cap. 36. Actor. cap. 16. & passim. Consequentia per se clara, quum propter duos modos istos causandi in efficiente nullus alius detur. 2. Non tantum scriptura modum istum ponit præter moralem, sed etiam moralem nullius esse valoris docet, si absit realis, vide hac de re 1. ad Corinth. cap. 3. vers. 6. 7.

I V.

Vtrumne regeneratio nostri fiat in momento, an verò successivè? Prius membrum affirm. ducti his argumentis.

1. Quia scriptura eadem vi regenerari nos docet, quâ res creata, 2. Corinth. cap. 4. vers. 6. At hæc vis talis erit, quæ non successivè, sed in momento res produxit. Ergò & hîc hoc fit. 2. Quia daretur necessario genus hominum inter animales & spirituales, quod à nobis jam refutatum est. 3. Daretur medium inter vitam & mortem spiritualem, quod itidem falsum est. Sed obijci potest: Atqui à Theologis docetur hoc, differre justificationem nostri à regeneratione, quòd illam successionem non admittit, hæc verò admittit. Respondemus, distinguendam esse regenerationem ratione inity & incrementi. Ratione inity peragitur divinitus in momento; at ratione incrementi non simul fit. Nam jam hi, jam illi accedunt gradus, etiamsi & hi gradus in momento

*momento divinitus producantur, sed non uno, verum
diversi, diversis.*

V.

Vtrumne detur regeneratio perfecta in
hac vita? Respond.

*Negativa vera est, ut apparet ex Epist. ad Rom. cap.
7. ad Gal. cap. 5. 1. Reg. 8. & Eccles. cap. 7. Sed obji-
ciunt Pontificij ergo, inquiunt, datur purgatorium,
quia nihil immundi cælum ingreditur. Respondemus.
Ut ut in vita non detur, tamen datur in dissolutione
animæ à corpore, idq; patet ex statu eorum, quos dies
Domini inveniet vivos, qui, antequam in occursum
Christi rapiuntur, immutabuntur, ut docet Scriptura.
Quoad corpus, illud perfectè regenerabitur in resurre-
ctione mortuorum, de quo ad Philip. cap. 3.*

V I.

Vtrumne qui regeneratus est, possit fieri
iterum irreginitus? Negativa vera est.

*Antequam tamen hoc probatum fuerit, distinctio nobis
erit præmittenda. Potest ergo, si naturam ejus spectes.
Nam si Adam cadere potuit, instructus donis perfectis,
quid ni hic, in quo omnia imperfecta. At non potest, si
Dei vim spectes conservantem, id quod probamus his
argumentis. 1. Quod Scriptura annectit necessariò
nexu omnia beneficia spiritalia regenerationi & rege-
neratis, ad Rom. 8. Quos vocavit illos justificavit,
quos justificavit, illos glorificavit. Quod utique
fieri non posset, si reginitus posset fieri irreginitus.*

2. Rege-

2. *Regenitus ille est, de quo Matth. cap. 7. vers. 24. & Matth. 16. vers. 11. Atqui talem nulla procella, nulli venti, nulla inundationes, imò portæ inferorum non subvertunt. Ergò si fuit regenitus, non fit irrogenitus.*

V I I.

Vtrumne regeneratio in quibusdam deficiat aliquando quo ad gradus? Affirmativa vera est.

Quam probamus. 1. Ex Matth. cap. 24. vers. 12. Quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

2. *Patet hoc ex fide nostra, quæ pars regenerationis est, quæ jam major, jam minor apparet, ut quilibet in seipso experiri potest.*

F I N I S.



RK 1
1293



Ornatissimo, Doctissimoq; Viro-Iuveni,

D. DANIELI SOLLINGIO,

D E

REGENERATIONE

Publicè disputanti.

Siccine SOLLINGI consuêsti perdere tempus,
 Siccine Pimpleides te relevare solent?
 Te relevare solent divini dogmata verbi,
 Scrutari & celsi iussa verenda Dei.
 Sic fas Fautores, sic præmia plurima famæ,
 Sic fas est nomen conciliare sibi!
 Perbenè; macte, tuo cursu si tangere metam
 Exoptas, nullo tempore siste gradum.
 Hæc etenim tantùm superos axes via pandet;
 Est labos; ast olim commeminisse juvat.
 Hinc tibi surget honos, tua laus, nomenque manebit,
 Nec non inde simul commoda multa trahes.

Hoc Philias ἐνεκα ἁέδιον fudit

M. R. ANHALTINUS.



471



2
11
12

E

2
11
12



III 1293 2K

ULB Halle

3

005 962 978





B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO
THEOLOGICA,

DE

REGENERATIONE

Q V A M
Divina Favente Gratia

PRÆSIDE

Nobilissimo, Reverendo, Clarissimoq; Viro,
D. JOHANNNE MAKOWSKY,
SS. Theologiæ Doct. ejusdemq; facultatis, ut &
Philos. Theoret. in celeberrima Frisiorum Oc-
cident. Academia, quæ est Franekeræ,
Professore publico, Præceptore suo
perpetuum colendo;

Exercitij, & veritatis indaganda gratiâ nascâ dūvapuy
Publicè defender

DANIEL SOLLINGIUS
CLIVO-VESALIENSIS.



FRANEKERÆ,

Excudebat Fredericus Heynsius Typogra-
phus in Academiâ Franekeranâ,

ANNO M. DC. XXV.

Π i
1293

